

quibus tamen sub conditione orari posse asserimus ut nimirum, si inscientes veritatem abnegent & oppugnent, DEVS ipsorum miseratus, in viam eos reducere dignetur: Sin verò scientes & volentes: tum eos iudicare velit.

89. Interim tamen de nonnullis coniecturam minimè fallibilem facere possumus, ut quos ob fluxas mundi huius dignitates & commoda, à veritate Evangelij agnita deficere, & manifestos errores, de quibus semel atque iterum convicti sunt, præfractè & blasphemè oppugnare videmus, eos peccato hoc ad mortem laborare pronunciamus: quemadmodum supra de Iohanne Pistorio Apostata intrepidè pronunciavimus.

90. Pro quibus utpote subversis ἀυτοκατακρίτοις Tit. 3, 10. tam non orandum esse statuimus, ut potius contra eosdem divinam ultionem imis cordis nostri suspirijs expetere debeamus.

91. Sic David perfecto odio odisse se huiusmodi confitetur Psal. 139, 22. & ut viventes in infernum descendant, orat. Psal. 55, 16.

92. Cùm enim neque spes veniæ, neque hostia pro peccatis, excepto solo & unico Christo, sit reliqua: blasphemè autem, sic ad mortem peccantes, hunc fide apprehensum scientes volentes excutiant, blasphement, persequantur: sanè pro huiusmodi hominibus orare velle, tam est inconveniens quam absurdum foret orare, ut DEVS absque Christo

Christo